



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quod per carnem introducitur peccatum: & quomodo, ostendit. B

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



transeant: sed non in veritate humanæ naturæ, quæ à primis descendit parentibus: quæ sola in resurrectione erit, reliqua vero caro in quam cibi transeunt, tanquam superflua in resurrectione deponetur: quæ tamen ciborum aliarumque rerum fomentum coalescit.

QVOMODO PECCATVM ORIGINALE

*à Patribus transeat in Filios: an secundum animam, an secundum carnem.*

DISTINCT. XXXI.

*Qualiter peccatum originale à patre traducitur in prolem.*

NUNC superest inuestigare, qualiter peccatum à patribus traducatur in filios, scilicet an secundum solam animam, an secundum carnem, siue secundum vtrumq;? Putauerunt quidam secundum animam trahi peccatum originale, non secundum carnem, quia non solum carnem, sed & animam ex traduce esse arbitrati sunt. Sicut enim in generatione proles de carne paterna substantialiter trahitur caro, ita etiam de gignentis anima animam geniti essentialiter deduci ab his existimabatur. Ideoque sicut de corrupta carne caro corrupta seminatur, ita etiã de anima peccatrice anima peccatrix, corruptione originali infecta, ab illis trahi dicitur.

*Predictam opinionem damnat, & quod per carnem traducatur peccatum dicit, & quomodo ostendit.*

Hoc autem fides catholica respuit, & tanquam veritati aduersum damnat: quæ non animas, sed carnem solam, sicut superius diximus, ex traduce esse admittit. Non ergo secundum animã, sed secundum carnẽ solã, peccatum originale trahitur à patribus. est n. peccatum originale (vt supra diximus) concupiscentia, non quidem actus, sed vitium. Vnde August. Ipsa concupiscentia est lex membrorum



rum vel carnis, quæ est morbidus quidam affectus, vel languor qui commouet illicitum desiderium, id est carnalem concupiscentiam, quæ lex peccati dicitur. Quæ dicitur manere in carne, non quia in animâ sit, sed quia per corruptionem carnis in anima fit.

*Causam corruptionis carnis, ostendit, ex qua in anima peccatum fit.* C

Caro enim propter peccatum corrupta fuit in Adam, adeo ut cum ante peccatum vir & mulier sine incentiuo libidinis & concupiscentiæ feruore possent conuenire, essetque thorus immaculatus: iam post peccatum non valet fieri carnalis copula absq; libidinosa concupiscentia, quæ semper vitium est & etiâ culpa, nisi excusetur per bona coniugii. In concupiscentia & libidine concipitur caro formanda in corpore prolis. Vnde caro ipsa quæ concipitur, in vitiosa concupiscentia polluitur & corrumpitur: ex cuius contactu anima cum infunditur, maculam trahit, qua polluitur & fit rea, id est vitium concupiscentiæ quod est originale peccatum.

*Quare concupiscentia dicitur esse in carne.*

*Quod propter corruptionem carnis quæ est causa peccati, dicitur peccatum esse in carne.* D

IDEOQUE ipsum peccatum dicitur manere in carne. Caro ergo quæ in concupiscentia libidinis seminatur, nec culpam habet, nec actum culpæ, sed causam. In eo ergo quod seminatur, corruptio est: in eo autem quod nascitur, concupiscentiæ vitium est. Vnde Ambrosius de verbis Apostoli sic ait: Quomodo habitat peccatum in carne, cum non sit substantia, sed priuatio boni? Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ipsaq; corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens diuinæ sententiæ datæ in Adam: cuius consortio anima maculatur peccato. Per id ergo quod facti causa manet, inhabitare dicitur peccatum in carne: hæc est lex.

*In comm. 7. c. ad illud. S. i. e. im. Ad Rom. in co. 4.*